



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 7. An & quomodo Baptismus est necessarius?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

*monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur ritè peractum.*

Hinc sic rebaptizandi sunt Infantes expositi si non habeant schedulam, aut aliam notam collati Baptismi testem. imò juxta multos & varia Concilia, & Rituale Tullense, etiam si habeant, si re diligenter investigatâ, nihil certi aliunde reperiat: quia illa schedula, aliave nota ab ignoto, ideò que incertæ fidei auctore apposita non sufficit ad certitudinem moralem, quam tamen requirunt Canones ad non rebaptizandum. Hinc Conc. Carthag. c. placuit, dist. 4. de consec. ait: *Placuit de infantibus quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos Baptizatos esse sine dubitatione testentur, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos.* Et verò charitas obligat ad suppeditandum proximo medium salutis necessarium, nisi constet jam adhibitum fuisse; alioqui ejus salus æterna morali periculo committeretur.

Dixi, *sub conditione*, ut vitetur periculum irreverentiæ, & reiterationis Baptismi verè suscepti.

*Q. 7. An & quomodo Baptismus est necessarius?*

*Resp. I.* Baptismus in re vel in voto necessarius est omnibus necessitate medii ad salutem, ex Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* extraditione, ex Trid. sess. 6. cap. 4. & sess. 7. can. 5. Infantibus verò extra Martyrium necessarius est in re; cum sint incapaces voti, seu desiderii

rii Baptismi in actu charitatis perfectæ contenti.

Porro illud est necessarium in re, quod secundum se necessario & absolute adhiberi debet, ita ut nihil sit quod ejus vicem suppleat. Illud est necessarium saltem in voto, quod necessario debet adhiberi vel secundum se, vel in ejus defectum secundum aliquid ejus vicem tenens propter suam eminentiam, & ejus votum vel explicitum, vel implicitum continens.

*Resp. II.* Adulti sufficienter instructi tenentur jure divino suscipere Baptismum, statim atque moraliter possunt cum debitis dispositionibus; ita ut non diu differant. Tum quia quisque tenetur ex charitate adhibere media ad salutem necessaria: tum quia quisque tenetur ex præcepto Christi ingredi Ecclesiam per Baptismum, qui est ejus janua, & fidem suam profiteri. Quæ præcepta per se obligant ad non diu differendam eorum observacionem.

*Resp. III.* Parentes tenentur graviter Baptismum liberis suis procurare brevi post eorum nativitatem tempore, ita ut mortaliter peccent si diutius id differant: quia consuetudo universalis Ecclesiæ baptizandi parvulos brevi post eorum nativitatem tempore habet vim legis graviter obligantis ob materiæ gravitatem. Et ex decretis particularium Ecclesiarum ad id tenentur intra triduum vel

Tom. III.

Q

qua-

quatrimum, prout ab Ecclesia propria præscribitur. Et verò in teneris infantibus semper est aliquod subitæ mortis periculum.

*Q. 8. Quinam est Minister idoneus Baptismi?*

*Resp. I.* Quilibet homo viator ratione utens potest in quovis casu validè baptizare. Constat ex Conc. Later. Gener. c. *firmiter*, definiente *Baptismum tam parvulis quàm adultis in forma Ecclesiæ à quocumque ritè collatum proficere ad salutem*. Et ex traditione & praxi Ecclesiæ, nunquam rebaptizantis à quovis ritè baptizatum. Nemo tamen potest seipsum baptizare, c. 4. *de Bapt.* nam requiritur distinctio inter generantem & genitum spiritualiter.

*Resp. II.* Solus Sacerdos sive sit Episcopus, sive Presbyter est Ordinarius Baptismi Minister: Diaconus verò tantùm extraordinarius. Prob. ex Conc. Florent. in decreto de sacram. ibi: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare: in casu autem necessitatis non solùm Sacerdos vel Diaconus, sed etiam Laicus, vel Mulier, imò etiam paganus, & Hereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.*

Quare extra necessitatem sub mortali baptizare non licet, nisi soli Sacerdoti, & quidem juxta omnes Pastori, vel ejus delegato; quia potestas & jus admittendi ad Ecclesiam pertinet ad Pastorem, qui præest illi Ecclesiæ, particula